



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

XVII. Quod pro licentia docendi nihil debet exigi aut promitti: promissum vero, remitti: solutum, debet reddi. Si autem huius prohibitionis occasione distulerit quis magistros congruos in locis ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

CAP. XVII. *Idem London.*

Prohibeas attentius de cetero, ne in parochia tua pro licentia docendi alios aliquid exigatur, aut etiam promittatur. Si quid vero post tuam prohibitionem solutum fuerit vel promissum, promissum remitti, solutum reddi facias, appellatione cessante, sciens quod scriptum est: *Quod gratis accepistis, gratis date.* Sane si aliquis occasione huius prohibitionis distulerit magistris congruos in locis congruis instituere, liceat tibi de concessione nostra, omni contradictione & appellatione cessante, ibidem viros prouidos & discretos aliorum instructioni proficere.

CAP. XVIII. *Idem.*

Quando Gallicana ecclesia maiorum personarum scientia & honestate præfulget, & eo cautiùs nititur curare quæ confundere videantur ecclesiasticam honestatem: tanto vehementiori dignos animaduersione eos censemus, qui nomen magistri scholarum & dignitatē in ecclesiis vestris assumunt, & sine precio viris ecclesiasticis docendi alios licentiam non impendunt. Cum autem hæc praua & enormis consuetudo ex cupiditatis radice processerit, & decorem admodum ecclesiasticæ honestatis confundat, prouidendum nobis est & summopere satagendum, vt consuetudo ista de ecclesiis vestris extirpetur, cum nobis præcipue ac specialiter adscribatur, si quid in ecclesiis ipsis laude dignum inueniatur, vel reprehensione notandum. Sub anathematis ergo interminatione prohibere curetis, ne qui dignitate, si dignitas dici potest, fungentes, pro præstanda licentia docendi alios, sub aliquo modo aliquid exigere præsumant: sed eis districte præcipiatis, vt quicumque viri idonei & literati voluerint regere studia literarum sine molestia & exactione qualicumque, scholas regere patiantur. Si vero vestra prohibitionis vel præcepti extiterint transgressores, eos auctoritate nostra & vestra officiis & dignitatibus spoliatis. Porro si iuxta mandatum nostrum corrigere neglexeritis, negligentiam vestram grauem habebimus & molestam: & ad eam corrigendam, manum extendere compellemur: ita quod si voluerint in huiusmodi rapacitatis proposito persistere, non valebunt.

Concil. Tom. 27.

T t t